


**Rector Academiae Rostochiensis, Johannes Cothmann ... Ad Exequias Quas ...  
Samueli Bohlio, Theologiae apud nos Professori vigilantissimo paratas cupit  
Moestißimus hospes Omnium ordinum cives Academicos ... invitat ...**

Rostochi[i]: Kilius, 1639

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745845533>

Druck Freier  Zugang





Cothmann, J.,


in S. Bohl.

R. 1639.

42.







RECTOR

*Academia Rostochiensis,*

JOHANNES COTHMAN,

S. S. Theologiae Doctor &  
Professor.

*AD EXEQUIAS*

Quas


*Viro Reverendo & Clarissimo*

Dn. M: SAMUELI

BOHLIO, Theologiae apud  
nos Professore vigilantissimo  
paratas cupit,

*Mæstissimus hospes*

Omnium ordinum cives Academicos, ea qua par est  
diligentia invitat, & ut frequentes compareant,  
sedulo hortatur...




ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXXIX.





RECTOR  
Academiae Rostochiensis  
JOHANNES COTHMAN,  
S.S. Theologiae Doctor  
& Professor.



*Sapientissimus Seneca inter suas, quas habes memoria imprimendas illustres sententias, & hanc, hoc imprimis tempore consideratione dignissimam, proponit in Epistolis, hisce verbis: Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitae, & tunc quoque, cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam: usque ad hesternum quicquid transit temporis perit. Hunc ipsum quem agimus diem cum morte dividimus. Non opus est, dicti hujus Seneca aliunde, quam vis quotidiana, conquiramus exempla inopinatum presentis funeris, Viri Reverendi & Clarissimi Dn. M. SAMUELIS BOHLII, S.S. Theologiae professoris vigilantissimi exemplum, axiomatis hujus viri Sapientis veritatem abunde satis comprobat. Amiserat ille infantiam, pueritiam, deinde adolescentiam, ac tandem Vir factus inopinanter diem cum morte divisit, isto quidem tempore quando per aetatem & vires corporis vegetas, ut ipse de se saepe predicabat, quod coram auctori, diutius vivere potuisset. Imo si singularem, multo labore ac vigiliis sibi acquisitam, literaturam*




*ura Hebraica scientiam consideramus, longiore vita dignissimus  
fuisse. Verum enim est quod quidam vir Clarissimus Profes-  
sor lingua Hebraea, celebris alicujus loci, de nostro defuncto ad me  
scribit: In defessum hominis studium laudo, nullusq. dubito Dn.  
BOHLIUM egregias orthodoxae nostrae Ecclesiae navare posse ope-  
ras, quia fontes Hebraeos ita imbibit, ut cuius palmam facere  
possit ambiguam. Hac ille. Quando verò inopinatum ac planè  
in expectatum, viri hujus Clarissimi exactius consideramus obi-  
tam, merito cum Apostolico dicimus: quam inscrutabilia sunt  
judicia Dei, & impervestigabiles viae eius. Ecce ille moritur,  
cujus unica delectatio fuit Dei verbum, quod diurna; imo & no-  
cturna cura sedulo pervolvitur. Vivunt alij, terrae filij, fruges  
consumere nati. Qui tempus studiis impendendum, otio & cra-  
pula, & nescio quibus rebus transigunt, parum vel nihil conside-  
rantes finem, cur in Academias à dulcissimis parentibus, aut fi-  
delissimis tutoribus missi sint. Cum ergò studiorum amantes  
mori, eorundem verò osiores vivere, ac in deliciis suis luxuriare  
videmus, non oportet nos has Dei vias scrupulosè rimari, sed in  
ipsius voluntate simpliciter nobis acquiescendum erit; utpote  
scientes vias Dei non esse sicut nostras. Ut autem more solito vi-  
tam nostri patris defuncti à natiuitate exordiamur, illum Anno  
1611. hoc ipso, quo vita extremum diem confecit, mense Majo,  
natum accepimus Gryphenberga, quae est civitas pomerania ul-  
terioris, patre viro Prudentissimo ac Doctissimo Dn. PAULO  
BOHLEN, Senatore & Advocato loci istius Spectatissimo;  
Matre verò ANNA FRIEDBORNIA, Matriona honestissima.  
Hi patris defuncti nostri parentes, postquam hunc suum filium, Chri-  
sto per Baptismum inseri curarunt, deinceps eundem pietati à  
reneris assuefecerunt, & adultiorem factum fidei suorum prae-  
ceptorum cum privatim, tum publicè, institutioni commiserunt. Et  
postquam in Schola patria prima studiorum elementa feliciter  
locasset, solliciti parentes studia filij bene capta, promoveri cogi-*


erant; Proinde eundem ad scholam minorē Gryphiswaldensē,  
& inde Stralsundensē ablegarunt. Cum verò ingenij felicitate,  
ac indefesso studio & labore pie defunctus noster, illos studiosius  
fecisset progressus, ut altioribus aptus satis videretur Anno post  
Christum natū 1620. ad Academiam celeberrimā Wittebergen-  
sē ablegatus fuit, ibidemq; per integrum triennium commo-  
rans, strenuè literis incubuit, post Regiomontum concessit Anno  
1622. Quem se ibidē triennium gesserit, litera testimoniales typis  
exscripta testantur. Nos ne hic aliqua vel addere, vel demere  
videamur, verba Magnifici Rectoris, & Senatus Academiae re-  
petimus: Potestate ipsi facta privatim tum legendi, tum dispu-  
tandi: ea ita fuit usus Uti & Academiae nostrae magno Or-  
namento & studiosae Juventuti insigni emolumento  
fuerit, & sibi immortale apud nos nomen Compararit,  
Nam & ante promotionem collegia tum Caldaico Syriaci tum  
Grammaticum & practicum, tum Arabicum in quo passionem  
Dominicam explicuit: tum aliud grammaticum, in quo Gram-  
maticam Hebraeam suapte Marte summa diligentia methodicè  
conscriptam proposuit: Et post promotionem Propheticum,  
tum super Esaiam Oratorium: in quo & verum Vetus sensum,  
tradidit & in certas eum orationes sive conciones tribuit, ad  
quarum imitationem Sex quoq; Orationes Hebraica, ipso Ego-  
diōntij & Moderatore, approbantibus eas prius Dominus Theo-  
logis, à Studiosis stylo Prophetico publicitus fuerunt habita: tum  
super Malachiam Grammaticum: In quo praecepta Grammatica  
Hebraica, ante promotionem dictata accuratè revidit, clariusq;  
rara dexteritate explicuit: tum Rabbinicum disputatorium  
privato publicum super Daniele, ex Rabbi Joseph Fachide:  
tum Aramicum sive Caldaico-Syriacum super Esaiam & Epistolā  
ad Romanos: Unde ipso itidem direttore, Orationes Caldaica &  
Syriaca aliquot habita, à linguarum Orientalium studiosis publi-  
cè in anglotheat. Majori fuerunt: Ad haec tres disputationes su-  
per


per Esaiam anti-Rabbinicas, Consensu Dñi. Theologorum publi-  
cè habuit, easdem volente Domino, alibi Continuaturus. Ut ita  
praeceptorum Grammaticorum in linguis supra dictis γῶσιν cum  
ipsa πρᾶξι & usu, magno cum opera pretio & in credibili Can-  
didatorum linguarum Orientalium utilitate semper conjungens,  
hoc verissimum elogium à nobis nunc reportet: Linguas O-  
rientales supra nominatas haecenus in Academia Re-  
giomontana inde à prima ejus fundatione nunquam  
floruisse magis, quam vivente in ea ac florente M. SA-  
MUELE BOHL. Ceterum ita vixit, ut in conversatione  
sua nemini fuerit gravis, non nimis multis ijsq̃ doctis & bonis  
duntaxat familiaris: DEO juxta monitum Apostoli vixit εὐσε-  
βῶς, sibi σωφρονῶς, proximo δικαίως καὶ πρὸς οὐροδομῶν: breviter  
ita vixit, ut eruditioni & studiis pietatis, ac linguarum, vita  
moresq̃ responderent. Unae non studiosorum modo amo-  
rem: sed & Patrum Academia nostrae benevolentiam favorēq̃  
sibi singularem conciliavit: dignissimus sane qui magnorum  
Academiarum Germania Mæcenatum opera ad functionem  
aliquam Academicam optimam promoveatur, ut utilissimos suos  
labores ac vigilias, sicut cœpit, in gloriam divini Numinis, Eccle-  
siarum salutem, Studiose juventutis salutare incrementum cō-  
tinuare possit. Hæcenus verba Academia Regiomontanae. Dis-  
cedens verò Regiomonto 1635. Invitatus à Rev. & Clariss. Viro  
Dn. JACOBO FABRICIO, S. S. Theolog. D. & generali pomerania  
orientalis Superintendente, ut apud se tanquam filius, ali-  
quantisper commoraretur, quod & per integrum annum factum  
est. Sæptimo ad nos Anno 1636. 1. Aug. venit. & Studium lin-  
guæ sanctæ auditoribus commendavit. Quomodo verò deinceps  
se se gesserit chartæ hujus angustia non capit. Notum vero  
ia est illis, qui illum docentem audiverunt Cumq̃, Amplissimo ac  
Prudentissimo Reipubl. hujus Senatui ipsius diligentia, & in lin-  
gua Hebræa singularis scientia innoresceret, locum vacantem,

Reverendi & Clariss. Dn. STEPHANICLOTZII, S. S. Th. D.  
& quondam S.S. Theol. Professoris hujus Acad. dignissimi, ami-  
ci & popularis nostri dilecti, nunc verò generalis Superinten-  
dentis Holsatia gravissimi, assignavit, Spartam verò quam na-  
ctus est diligentia, & assiduo ac concatenato quasi labore, ita or-  
navit, ut in semetipsum, ac propriam valetudinem injuriis quo-  
dammodo videri posset. Hinc perpetuo illo, & nunquam ferme  
interrupto labore confectus, non diu licuit muneri assignato prae-  
esse. Officium enim quod prateriti anni 4. Junij aggressus est.  
10. Maji Anni currentis, die videlicet veneris post tertiam po-  
meridianam deposuit Annos natus 28. Non diu quidem cum  
morbo conflictatus fuit. Nam praterito die solis corporis infir-  
mitatem primum sentire cepit, qua incrementum paulatim su-  
mens paucisq; nostrum elapso die Luna lecto affixit, & 10.  
Maji dicta hora pomeridiana, finem vitae intulit. Nec mirum  
corpus alias robustum, ita subito prosterni, viribus ejusdem labo-  
ribus fractis. Referentibus enim discipulis illius Herculeos susti-  
nuit labores, proponendo Grammaticam Hebraeam quinquies,  
Chaldaeam bis, Syriacam semel, additis textibus & aucto-  
ribus instituto suo inservientibus. Unde effectum est, ut disci-  
pulorum quidam, illos in linguis hisce fecerint progressus, ut pu-  
blicè perorantes & disputantes auditi sint. Librum Psalmorū  
piè defunctum nostrum, ut & Jobum, aliosq; libros ex fontibus  
interpretatum fuisse relatum audivimus. Exeritium quoq;  
habendarum concionum institutum fuisse non unum, testantur  
illi qui exercitiis illis interfuerunt. Et non semel piè defunctus  
noster publicè concionando, multorum cum applausu, auditus  
fuit. Disputationes quoq; varias de diversis materiis publicas,  
tum & privatas habuit. Et ut multa paucis complectar, uno  
verbo laboriosissimus homo fuit. Et si Deo ita visum fuisset,  
crescente etate & judicio Reverendum & Clarissimum  
hunc Virum Dn. M. SAMUELEM BOHLIUM, con-  
serva-


*servare, omnino mihi orthodoxia illum nostra insignem fore pro-*  
*pugnatorem promississem. Quia vero divina providentia rem-*  
*aliter disposuit, oportet nos in Dei voluntate humiliter acquies-*  
*cere. Ceterum corporis infirmitatem sentiens, sese corpore &*  
*sanguine Christi, duas ante obitum, & felicem ex hac vita abi-*  
*tum horas pavit, animumq. suum ad moriendum intrepidum,*  
*astantibus viris ac mulieribus declaravit, seseq. ex mundo hoc*  
*inmundo exire dixit, & Christo cōjungi petijt. Vates, ut refertur*  
*sua mortis fuit; eriduo enim antè quam lecto affigeretur dixis-*  
*se dicitur, sibi in somno visum apparuisse, & se Stralsundium e-*  
*vocatum esse, ut super hac verba: homo de muliere natus*  
*brevi vivit tempore, & plenus est laborum & ærumna-*  
*rum: Concionem haberet. Et astantibus dixisse perhibetur*  
*paulò antè mortem: post horam tertiam auditam, mundo exibo,*  
*& ad cœlestia commigrabo. Quae alia de piè defuncto nostro di-*  
*ci possent charta angustia excludit. Nos Cives Academici, mo-*  
*riendum nobis esse singulis horis, imò momentis considerabimus,*  
*quod n. piè defuncto nostro præter omnem expectationem acci-*  
*dis, & nobis opinione citius contingere posse, exëplo hoc discamus,*  
*capiamus ergò occasione hujus funeris id, quod nobis suo tempore*  
*exusu fiet. Interim Deus consolationis, adsit ijs omnibus, qui in-*  
*opinato & planissimè in expectato defuncti nostri obitu, mero-*  
*rem conceperunt. Quem ut & nos cives Academici quantum*  
*possimus leniamus, frequentiori comitatu funeris, viri hujus*  
*clarissimi deductionem hora media prima hodie in aede Maria-*  
*na, à Reverendo & Clariss. Viro Dn. D. JOHANNE QUISTOR-*  
*FIO, collega & amico nostro dilecto, piè defuncti nostri hospite in-*  
*stituendam exornemus. Simulq. Illustrissimum nostram princi-*  
*pem, Dominum nostrum clementissimum, Academiam, & urbem*  
*hanc, Deo propitio supplicibus precibus commendemus. Et nos-*  
*met ipsos ad beatam ex hac vita emigrationem, quando DEO*  
*summo imperatori, vita & mortis Domino placet, præparemus.*  
*P. P. sub sigillo Rectoratus 13. Maij, 1639.*












Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn745845533/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn745845533/phys_0016)

**DFG**

Reverendi & Clariss. Dn. STEPHANIC  
& quondam SS. Theol. Professoris huius  
ci & popularis nostri dilecti, nunc verò g  
denti Holsatia gravissimi, assignavit, Sp  
tus est diligentia, & assiduo ac concatena  
navit, ut in semetipsum, ac propriam vale  
dammodo videri posset. Hinc perpetuo illo  
interrupto labore confectus, non diu licuit  
esse. Officium enim quod prateriti anni  
10. Maji Anni currentis, die videlicet ve  
meridianam deposuit Annos natus 28. T  
morbo conflictatus fuit. Nam praterito  
mitatem primum sentire cepit, quae increm  
mens paucis diebus nostrum elapso die Luna b  
Maji dicta hora pomeridiana, finem vira  
corpus alias robustum, ita subito prosterni,  
ribus fractis. Referentibus enim discipulis  
nuit labores, proponendo Grammaticam  
Chaldaeam bis, Syriacam semel, additis  
ribus instituto suo inservientibus. Unde e  
pulorum quidam, illos in linguis hisce fecer  
blice perorantes & disputantes auditi sint  
piè defunctum nostrum, ut & Jobum, alio  
interpretatum fuisse relatum audivimus.  
habendarum concionum institutum fuisse r  
illi qui exercitiis illis interfuerunt. Et non  
noster publicè concionando, multorum cum  
fuit. Disputationes quoq; varias de diver  
tum & privatas habuit. Et ut multa pauci  
verbo laboriosissimus homo fuit. Et si 2  
crescente etate & judicio Reverendum  
hunc Virum Dn. M. SAMUELEM I



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart: T263 Serial No.

Patch Reference numbers on UTT